



M.  
d.  
H.  
J.  
A.  
A.  
J.  
d.  
o.  
d.  
A.  
A.  
A.  
A.  
A.  
A.  
A.



15  
RECTOR  
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

Ad  
FESTIVITATEM  
GLORIOSÆ CHRISTI  
RESURRECTIONIS,

IN TEMPLO ACADEMICO  
hodie post horam XII.  
celebrandam,

ILLUSTRISS. COMITEM à WURMBRAND,

Ut &  
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES

Ac  
CIVES ACADEMICOS

officiose & humaniter  
invitat.



Salvator noster Iesus Christus in concionibus suis saepe usus fuit parabolis, similitudinibus & typis. Causa, ob quas hoc fecit, concernunt partim Deum, partim homines. Deum quæ concernunt, sunt Scripturarum impletio, & certitudo. Ea innuitur Matth. XIII, 4. *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis, v. 35. ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Extat autem hæc prophetia Ps. LXXVIII, 2.

Homines quæ spectant, sunt in primis eorum melior informatio, & observatio. Rectè hinc *Erasmus* in Paraph. N. T. ad c. IV, 2. Marci, hæc de re scribit: *Proponebat Christus parabolas, h. e. rerum notissimarum similitudines. Est enim hoc simplicissimum docendi genus, ac rudibus maximè accommodum. Videtur enim primà specie puerile, ac ridiculum hujus mundi sapientibus: sed hoc docendi genus placuit æternæ sapientiæ. Philosophi magna arte contortis Syllogismis tenebras offundebant auditoribus. Rhetores admirabili dicendi copiâ vim admovebant animis hominum. Pharisei retrusa quadam, & à populari capite procul semota congeriebant, sed hoc doctrinæ genus simplicissimum, & ab omni ostentatione alienum sibi delegit Iesus, ut tota gloria mundi per Evangelium innovati esset divinæ virtutis.* Et hæc causa fuit, quod multi populi in sermonibus suis similitudinibus & parabolis usi fuerint. De his scribit *Hieronymus* in Matth. c. XVIII: *Familiale est Syris, & maximè Palestinis ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exemplaque teneatur.* Similitudines istæ præterea diutius animo obversantur, & recurrunt quasi ad quemvis conspectum istarum rerum, à quibus sunt depromptæ. Nos itaque, quando hoc tempore de Resurrectione Christi pro more aliquiderat dicendum, similitudinem quandam, vel potius typum elegantissimum Lectoribus sistamus, quo ipse Salvator noster delectatus fuit, & resurrectionem suam, post triduanam in sepulchro quietem ob

ocu-

oculos nobis ponere voluit. Desumfit illū à Propheta Jona, quando *Matt. XII. v. 40.* ita ait: *Quemadmodum enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, ac tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terra tribus diebus & tribus noctibus.* Considerabimus autem hæc verba 1.) in sensu literali, 2.) in sensu typico. Si secundum literam ponderentur, duo nobis sese offerunt, (1.) Jona in ventre ceti triduanam mansio. (2.) Ejusdem, transacto hoc triduo exinde liberatio. Jonas autem, si nomen spectes, est hebraicum. יוֹנָה i. e. columba, à radice יָנָה, quæ in Hiphil habet הֵנִיחַ, significatque oppressit, affixit, vel prædatus est, ideò quod vel columba accipitrum, aliarumque rapacium carnivoris rostris impetatur & affligatur, vel quia ipse etiam columbarum grex agros deprædari soleat. Hæc paucis de nomine Jona. Occasionem autem ad hanc triduanam mansionem in ventre ceti ipse suppeditavit. Illa erat hæc: Nimirum Deus præcipiebat Jonæ, ut abiret in civitatem Ninive, hominesque ibidem adhortaretur, ut pœnitentiam agerent, quia magna immineret pœna divina. Jonas verò hanc divinam jussionem recusans mari se commisit, & in alia abire loca voluit. Hac ratione verò Deum ad iram provocavit, qui horrendam tempestatem mari immisit, adeò, ut nautæ omnes in summum vitæ discrimen fuerint adacti. Postquam verò hujus horrendæ tempestatis causam per sortem inqviverunt, tunc Jonas reus inventus fuit, quem statim in mare conjecerunt. Mare mox tranquillum fuit redditum, cetus verò hunc Jonam absorpsit. Vide *Cap. I. istius Prophetæ, v. 2. 3. &c.*

De hoc ceto nonnulla observatu digna proponenda sunt. (a) quæritur, unde iste in illo momento, quo Jonas in mare fuit projectus, accesserit? Paucis respondetur, quod ductu divino eo tranaverit, quia expresse in *Cap. I. v. ult.* dicitur, quod *Deus paraverit piscem magnum, qui Jonam absorberet;* an autem hic piscis balæna, an alius fuerit, multi disqvirunt. Serupulus potissimum hic urget, quod balæna (observantibus *Rondeletio, Ulysse Aldrovando, Pineda, Samuele Bocharo, aliisque*) arctiore sit gutture ac ventriculo, ut molem grandiore propter gulæ angustias devorare possit, cujus aditus vix pateat semipedem, (uti doctiss. *Scaliger* contendit ad *Cardanum* p. 390.) adeoque fieri haut potuisse putant, ut illæsum atque integrum hominem absorberet. Ceti enim, inquit laudatus *Bochardus* lib. V. *Hierozoic. Cap. XII. p. 742.* *ut ut vaste belluæ meatus habent ita angustos, ut solidum hominem deglutire hautquaquam possint.* In locum ergo balænae substituunt *Charchariam* seu *Lamiam*, vel *canem marinum*, cui prædicata illa, ut & nomen ceti in laxiore significato, quò quemvis piscem

scem majorem notari volunt, convenient; è cetaceis piscibus, inquit modo laudatus Bochartus p. 743. nullum novi, in quem hac historia quadret aptius, quam in eam marini canis speciem, quam charchariam alii vocant ab asperitate dentium & acumine. Sed quicquid sit, hæc nos nondum movent, ut à communi sententia discedamus, in primis cum ipse Salvator in hoc textu hunc piscem appellet *κῆτος cetum*, quæ vox in significatu famosiori semper balænam significat; deinde dantur etiam balæna, quæ suâ magnitudine vel minoribus montibus, aut non exiguis collibus assimilantur. Si verò id alicui minus arrideat, dicimus, quod ille qui præparavit hunc cetum, etiam præparaverit guttur illius, ut Jonas per illud in ventrem ipsius pertransire potuerit. Nam & conservatio Jonæ in ventre ceti, & absorptio ejus miraculosa fuit. Quid? quod & serpentes proceri dentur, qui homines deglutire soleant. Exemplum hujus rei refert Joh. Ludewig Gottfried/ *Part. II. Histor. Antipod. sive in den West-Indianischen Historien* p. 378. Verba ejus de navigatione Equitis Angli Waltheri Ralegk sunt hæc: In dem Wasser sahen sie allerley fremde un wunderliche grosse Thiere/auch eine unzehliche Menge der unflätigen Schlangen/die sie Lagartos nennen: Des Herrn Ralegks Mohr / ein feiner Jüngling / sprang daselbst ins Wasser / und wolte an den Einfluß schwimmen / dieser ward im Angesicht der Engelländer von einer solchen Schlangen verschlungen. Alia hujus rei exempla proponit Johann Jacob Mercklein in suo Itinerario, quod annexum est descriptioni trium Regionum Japan, Siam & Chorea. à Christophoro Arnoldo cum notis editæ. Hic p. 920. scribit ita: Es befinden sich auch allhier zu Java viel abscheuliche grosse Schlangen/welche alle an Menschen/Biehe und Wild grossen Schaden thun: Denn bey meiner Zeit eine grosse Schlange ins Castell Batavia gebracht worden/die eine ganze Indianische Frau; Eine andere / die 36. Schuhe lang war / und ein ziemlich grosses wildes Schwein ganz eingeschluckt gehabt. Derohalben auch vom General ein gewisses Geld darauß gesetzt ist / demjenigen / welcher ein solch schädlich Thier lebendig oder todt zu ihm bringt / zu geben. Quæ omnia satis testantur, absonam minimè debere videri, Prophetam Jonam à balæna vel ceto fuisse absorptum.

2. Observatu etiam hic digna est stupenda illa Jonæ peregrinatio, quam in ceti ventre instituit, & celerrimo motu contexit. Nam uti Josephus scri-

scribit lib. I. Antiquit. Jud. cap. 253. prope Joppen ille à ceto deglutitus fuit, & in littore maris Euxini ex ventre ceti iterum ejectus. Circuivit itaque cetus ille cum Jona Asiam minorem per mare Ægeum usq; Constantinopolim, quò itinere CCL. milliaria germanica cursu suo absolvit, prout scribit & computat *Petrus Laurenbergk* in *Acerm Philologica* Cent. 2. p. 362. Singulis ergo horis quatuor milliaria emensus fuit. Procul dubio hoc propterea fuit factum, quia Jonas ceto huic magnas anxietates concitavit, ut ob hanc rationem citissimo cursu mare percurreret, donec post triduum ipsum in litus evomuerit. In litore autem hoc, in quod *Jonas* fuit ejectus, hodierno die visuntur duæ columnæ, de quibus *Hieronymus Scheidt* in *suo Itinerario* lit. N. ita: Den 18. Julii fuhren unser Capitain des Schiffes/ auff unser Begehren/ mit uns auff einem kleinen Schiffe nach dem Ort/ als man sagee / da der Wallfisch den Propheten Jonam an das Ufer des Meers hatte geworffen/ als er für dem HErrn flohe / da er das Wort des HErrn zu Ninive predigen solte. Dieser Ort lieget gegen Mitternacht von Alexandretta 8. Meilen. Es hat vor Zeiten eine Kirche da gestanden / welche die Christen dahin gebauet hatten/ ist aber nun alle zerstöhret / und siehet nicht mehr als zwei Seulen allda am Meere etc.

(II.) Paucis nunc etiam nobis consideranda est *Jona liberatio*. Postquam enim per triduum ibi commoratus fuit, tandem ex ventre istius balænæ vivus in litus projectus fuit. Meritò hîc mirari subit, Jonam in hoc fœtido & inamœno domicilio tamdiu vivere potuisse! Nam ibidem nec respirare, nec aërem frigidum attrahere potuit. Miramur quoque odorem, qui in ventre ceti olidissimus est, Prophetam non suffocasse, & exanimasse! Præterea & hoc admiratione dignum est, calorem illum maximum in ventre ceti Jonam per istud triduum non consumfisse, & in chylum mutasse! Maximè verò omnium admiramur Jonam in hoc squalidissimo carcere non modo non corporis, sed nec mentis damna sensisse, quin potius Spiritus Sancti afflatu insigne ac devotum carmen, si non cecinisse, certè meditatum fuisse! De triduo autem istius temporis spacio non constat inter autores, *an videlicet completum vel incompletum fuerit?* Quidam illud completum fuisse statuunt, quidam non. Quia verò scriptura ait, *Jonam fuisse τρεῖς ἡμέρας, ἡγὶ τρεῖς ὥρας, tribus diebus ac tribus noctibus in ventre ceti*, nihil absolum est, si ita statuamus. Et quanquam Christus non integrum triduum & pertres noctes

in sepulchro fuerit, sciendum tamen est, non in omnibus typum convenire cum antitypo, monente D, *Glossa* lib. II. Philol. Sacr. p. 331. Sed de triduo Christi major offert sese difficultas, an videlicet Christus per integrum triduum & tres noctes fuerit in sepulchro? Affirmativam præsens textus ex Matthæo videtur astruere, cum tamen, si tempus exactè computes, aliud videatur affirmandum. Nam de die sepulturæ patet, quod is Parasceves seu Veneris fuerit, isque jam declinans, nondum tamen sole Horizonti subducto, aliàs ipso Sabbatho contra legem & morem Judæorum sepultus fuisset. Circa vespèram itaque parasceves Christus sepulchro fuit illatus, per integrum diem Saturni ibi quievit, die vero solis summo mane resurrexit. Sed hac ratione non habes integrum *υοχ* *ἡμερῶν*, vel tres integros dies & noctes. Aliam itaque computationem instituamus necesse est. Nempe Dominica sepultura instituta fuit, cum tres fermè horæ de die illo adhuc superessent, ante Solis occasum. Resurrectio verò gloriosissima accidit die Solis vel Dominica, (sic dicta, quod eandem suâ resurrectione Dominus consecraverit,) seu feriâ primâ non mediâ quidem nocte, sed summo mane, & die jam illucescente. Neque enim credibile est, mulieres ad monumentum Dominicum properasse ipsâ mediâ nocte, quò sanè tempore neque lapidem sepulchralem conspiciere procul potuissent. Jam si propius ad institutum nostrum accedamus, diesque ac noctes computemus, patebit, primi atque tertii diei partem maximam & noctem integram deesse, dies enim integer tantum unus fuit cum duorum dierum partibus, vel particulis, noctes verò integræ duæ intercesserunt. Calculus ergò ducendus more Hebræorum per synecdochen usitatam. Nimirum apud Hebræos receptum erat, ut diem à vespera auspicarentur, secundum *Gen. I, 5. sqq.* Quin & hoc illis familiare fuisse deprehendimus, partem diei nomine ipsius diei insignire, id quod ostendit *Liechtfoot.* in horis suis hebr. p. 353. Hâc ratione ergo secundum hunc morem particula illa minutula diei tertii, quo Christus resurrexit, pro toto die erit computanda. Idem de particula primi diei, quò Christus sepultus fuit dicendum est.

Considerabimus nunc etiam hunc textum *in sensu typico*, ubi explicabimus, in quibus partibus Jonas Christum ipsiusque resurrectionem a liaque ejus beneficia præfiguraverit.

1.) Quemadmodum Jonas tres dies & tres noctes in ventre ceti, tanquam in carcere, permansit: ita Christus quoque per triduum in sepulchro quievit,

2.) Uti



2.) Uti Jonas è ventre ceti salvus & incolumis iterum prodiit: sic & Christus è sepulchro vivus & illæsus resurrexit.

3.) Quemadmodum Jonas nomine columba fuit, fataq; columbina reapse sensit; ita Christus reverà fuit columba, non tantum præfiguratus ratione Evangelii sui, humano generi prædicati à columbarum olivæ Noacho afferente, ut & ratione officii sui à columbis ad Sacrificia Levitica adhibitis, sed & adversariorum insidias non minus atq; ipse Jonas inq; passione rapacium Judæorum truculentos ungues ad mortem usque instar columbæ expertus est.

4.) Quemadmodum Jonas Propheticum munus sustinuit, & hominibus verbum DEI annunciavit: ita Christus quoque eodem munere defunctus est. Ille pœnitentiam Ninivitis prædicavit, hic quoque idem argumentum intimavit, *Matth. V, 17. ex eo tempore cepit Jesus prædicare ac dicere: Resipiscite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Uterque citra resipiscentiam Deum neque conciliari, neque imminentem interitum declinari posse, significavit.

5.) Ut Jonâ mare ingresso tempestas minacissima exorta est, iratq; adversus ipsum fluctus insurrexerunt; sic Christum natum, & mare hujus mundi ingressum, statim persecutionum procellæ exceperunt, ipsum ex Judæa in Ægyptum, inde iterum Hierosolymam multis jactatum adversæ fortunæ fluctibus ferentes.

6.) Uti Jonas in ventre ceti maximis angustiis circumseptus ingeminavit: *ejectus sum à conspectu oculorum tuorum, Jon. II. v. 4.* Sic Christus in cruce: *Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me?* magna voce exclamat *Matth. XXVII. v. 46.*

7.) Uti propter Jonam cœlum ac mare fuit commotum; sic propter Christum facies cœli obscurato solis oculo mutata, terraq; commota fuit.

8.) Uti Jonas spontè atq; ultrò insanis maris fluctibus mergendum se obtulit; sic Christus sæviante adversus se divinæ indignationis procellâ, victimam spontaneam semet obtulit, obediens Patri usque ad mortem.

9.) Uti Jonas comprehensus è navi projicitur in mare; ita Christus, postquam natus erat, statim in mare persecutionum coniectus fuit, a deo ut ipse clamet: *Vermis ego, non homo, Psal. XXII, 7.*

10.) Uti Jonas ab immani bellua marina absorptus, inq; ejus ventre detentus atq; reconditus fuit; ita & Christus à morte abreptus inq; sepulchro conclusus fuit.

11.) Uti

11.) Uti submerso Jonâ, mare de sævientibus undis tranquillatum, atque ad placida halcyonia compositum fuit: ita Christus morte suâ iram & indignationem divinam placavit, Satanæ mundique furores compescuit.

12. Ut bellua Jonam consumere haud potuit, sed post triduum cum nausea & vomitu citra corporis contusionem ac lacerationem incolumem, ac Ninivitis postea insigni cum fructu prædicantem restituit: Sic etiam ex imis mortis visceribus victrix vita Christus rediit, & per Apostolorum ministerium gentium multitudinem convertit.

Hæc ergo meditatio typica, quam de Jona hætenus instituimus, multiplicem nobis affert usum, & beneficia illa, quæ Christus nobis passione & morte suâ acquisivit, eleganter ob oculos proponit. Videmus etiam exinde, omne illud, quod Deus in V.T. per clara dicta & elegantos typos nobis promisit & præfiguravit, in tempore fuisse impletum; hoc præfenti quoque tempore videmus. Hætenus enim Ecclesia Christi de acerbissima passione & morte Christi egit, hodie de ipsius gloriosa resurrectione, tot typis præfigurata. Fas est ergo, ut hæc summa beneficia Academia nostra simul probe ponderet. Agite ergo, conveniamus eum in finem hodie post auditam horam XII. in Templo Academico, & non tantum resurgenti Salvatori nostro debita gratiarum actione occurramus, sed etiam beneficia illa immensa per resurrectionem illam salutiferam nobis parta devotè considerabimus. Ea de causa subeleganti parabola (delectamur enim jam sermone parabolico & typico) Christum resurgentem sub forma Leonis vobis sistet Reverendus, Eximius atque Clarissimus DN. M. GEORGIUS Heinrich Göze, Lipsiensis, SS. Theol. Baccalaureus. Illustrissimum ergo Comitem à WURMBRAND, ut & utriusque Reipubl. Proceres, aliosque Cives nostros Academicos humaniter compellamus, velint dictâ horâ nobiscum in templum illud secedere, & ora in Christi resurgentis laudes resolvere. Erit hoc pietatis opus Christo gratum & nobis proficuum. PP. Feria I. Paschatos. A.C. M. DC. LXXXIX.

---

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

01 A 6541

f

ULB Halle 3  
003 090 396




TA → OL

1018  
VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

15

CTOR  
 TIS LIPSIENSIS  
 Ad  
 VITATEM  
 SÆ CHRISTI  
 ECTIONIS,  
 O ACADEMICO  
 ost horam XII.  
 lebrandam,  
 ITEM à WURMBRAND,  
 Ut &  
 REPUBLICÆ PROCERES  
 Ac  
 CADEMICOS  
 & humaniter  
 invitat.

